



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Iudæi eodem loco puniti, in quo peccauerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Deuter. 21. 23. Cum enim jam ab antiquo *maledictus* esset *omnis qui pependit in ligno*, & abominabilis haberetur, sperauerunt, hoc pacto, Christum quoque tamquam blasphemum & furciferum, vnaque eius doctrinam & fidem contemptum iri. Nam ignominiosa illius mors, per omnes illico prouincias vulgabatur, in quibus quanto prius melior fuit de illo opinio, tanto putabant homines postea peius locuturos, si audiissent, fuisse veteratorem. Quoniam igitur, ad Christum capiendum & crucifigendum illud precipue tempus elegerunt, quod ad illius infamiam & contumeliam maxime seruiturum arbitrabantur, iusto Dei iudicio factum est, ut Vespasianus Titum filium suum, Paschali quoque tempore miserit ad ciuitatem Ierusalē obsidendā, quam die 14. Aprilis coepit obsidere, quo tempore iterum Iudæi ex omnibus prouincijs, ob festi sollemnitate ingenti numero erant congregati. Putabant nimirum Iudæi, Vespasianum & Titum Coss. quod ad arma ciuilia diuertissent, de Hierosolymis in præsentiarum minis fore sollicitos, sed ad stabiliendum Imperium omne studium ac operam nauaturos, ac proinde hoc saltem anno ab Hierosolymorum obsidione temperaturos. At hæc eos spes miserè fefellit. Collectis igitur undique legionibus; eo tempore urbem cinxerunt, quo, ut ex victimis, in Paschate, offerri solitis Iosephus colligit, Hierosolymis, vigesies centies & septies centies mille homines fuere; & quidem tantum eorum Iudæorum, qui mundi panibus azymis vesci poterant; non annumeratis agris, peregrinis ethnicis, quorum utique etiam haud exiguus numerus erat. Quod numerosior autem in vrbe fuit populus, tanto obsessorum fuit grauior calamitas, quæ se se in tot hominum necessitates extendebat. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Peccauit ingens multitudo consentiens in necem Christi, luit ingens multitudo.

V.

Matth. 26.
Luc. 19.Ioseph. de
bell. Iud. loc.
cit.

4. Christus passionem suam in monte Oliueti coepit; vbi sanguinem sudauit; vbi osculo proditus est Iudæis; vbi captus est à cohortibus militum *tamquam ad latronem exeuntium*. Vnde etiam respiciens ciuitatem fleuit super eam, ut qui præ oculis haberet durissimam omnium cladem, quam passuri essent à Romanis. Itaque vicissim etiam in oliueti monte eorum calamitas initium habuit, Nam ibi, teste Iosepho, prope Hierosolymam Ti-

tus,

tus, in ipso monte Oliueti, posuit castra. Ibi ergo ubi cum gladijs & fustibus alijsq; armis Christum quæsierunt, armis quæsi sunt ipsi postea. Ut enim in monte Oliueti Christus, ob instantem sibi passionem, *capit pauera & tedere, & mæstus esse*: ita, hoste in eodem monte castra ponente, incussus est timor & formido ludæis obsessis; ut non solum Christo mons ille fuerit tremendus, sed etiam postea tot armis relucens, toti ciuitatiferet metuendus. Et ut tanto esset maior comparatio, sicut ibi, cum Christus caperetur, illi solum Christum, non item discipulos eius quæsierunt, ipso Domino dicente: *Si ergo me queritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidisti ex eis quemquam*: ita, ante obsidionem, multi qui iam Christiani erant Hierosolymis, inde diuina Prouidentia duce, recesserunt. Quod sanè utrumque ut diuinæ illius potentia, ita & prouidentia meritò debet adscribi. Nam alioqui profectò saltem Petrus non euassisset, qui, coram tota cohorte, & tribuno, & ministris ludæorum, *habens gladium eduxit eum*, audacter sanè, nec eduxit tantum, sed etiam *percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram*. Quod mirum est seruo Pontificis passos esse fieri tot armatos. Sed Christus voluit ostendere, quantum habeat suorum curam. Hoc etiam fecit, in lamentabili illo excidio Hierosolymitano; quo ingruente, ait Iosephus, quàm pluri mi futurorum malorum non falsi coniectores Hierosolymis elapsi in alias regiones emigrarunt. Ex quibus fuisse Christianos, qui tunc ibi degebant, testatur Epiphanius. Hi in exteriorem prouinciam recedentes, maiore ex parte, Pellam incoluère, quia sic eos Christus, ut antè, quàm obsidione cingerentur, aliò se reciperent, olim admonuit. Hic enim annus, & hoc tempus est à Domino designatum, quando de ventura ludæorum clade verba faciens dixit: *Cum videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote, quia appropinquauit desolatio eius: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes*. Atque huc respexisse Christum Origenes quoque & D. Augustinus scripserunt. Admonuit autem Dominus, ut primo exercitus Romani aduentu fugam captarent, quia vidit postea non amplius liberum fore ijs, qui Hierosolymis erant, inde recedere. Quippe sequenti post Christum 69. anno sic ciuitas Zelo.

Ioan. 18. 2.

Matth. 24. 15.

Ioseph de bell. Iud. l. 2. cap. 25.

S. Epiphani. hæres. 29. & 30.

Matth. 24.

Orig. tract. 24. in Matth. S. Augustin. epist. 80. ad Hecschiam.

H h h h

tarum

tarum est arctata custodijs, vt nulli amplius egrediendi sit data facultas, nisi qui fortè ingenti vi pecuniarum eam redemisset. Quia igitur Christiani Hierosolymis agentes erant pauperrimi, iamque diu omnibus bonis spoliati elemosynarum collectione indigebant, probabile est, eos Anno Christi 68 excessisse, & cum Angelis dixisse: *migremus hinc*. Erat autem non vrbs tantùm regia excidenda, sed circumposita quoque prouincia vndique & vndique deuastanda, quod cœptum est Anno 69. quando à Nerone Vespasianus in Iudæam est missus. Idcirco Christus non tantùm suos monuit, vt Hierosolymis exirent, sed *omnes*, inquit, *qui sunt in Iudæa, fugiant ad montes*. Aliquos tamen Hierosolymis mansisse Christianos, quorum itidem rationem habuerit Deus, scripsit D. Augustinus, cuius hæc verba sunt: *Non enim debemus ambigere, quando eversa est Hierusalem, fuisse in illo populo electos Dei, qui ex circumcisione crediderant, sine fuerant credituri, electi ante constitutionem mundi, propter quos breuiarentur dies illi, vt tolerabilia mala fierent*. Hæc S. Pater in illa verba: *Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnia caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi*. Breuiati autem sunt, quia diuinæ prouidentiae consilio inexpugnabiles munitiones à Tito citiùs fuerunt expugnatae; si enim Romani diutiùs obsidionem continuassent, & vrbe seriùs potiti essent, obsessi omnes fame periissent. Quare & reliqui Iudæi, ob electos hos *breuiatis illis diebus*, à Christianis istud beneficium acceperunt, vt ex ijs plurimi, nimirum ex plebe immensus numerus, ex populo autem, vt Iosephus tradit seruata sint plusquam quadraginta millia. *Abbreniati sunt autem dies illi*, quia ab obsidione vsque ad expugnationem ciuitatis, nec quatuor integri menses intercesserunt. Vrbs enim 14. die Aprilis obsideri cœpta, octauo die mensis Augusti à Romanis est capta. Ita non solum electis succurrit Deus, sed etiam alijs, propter electos vnà habitantes: quemadmodum & olim, vel propter decem iustos voluit Deus parcere Sodomitis.

VI.

5. Christum ita solum captum, vt nos in libertatem reponeret, Iudæi noctu, in aula Principis sacerdotum Caiphæ, carcere clausum armata militum manu custodierunt. In obsidione Titus ita conclusit Iudæos, vt illis omnem exitum, ne quis vel ad
herbas

S. Augustin.
epist. 80. ad
Hefichium

Ioseph. de
bell. Iud. l. 7.
cap. 15.

Gen. 18. 32.